

TRACTATUS II.

DE SPE

S. Alf. lib. 2. H. A. tr. 4.

Exponemus: 1^o naturam spei, 2^o eius praecepta, 3^o peccata contra spem.

CAPUT I.

NATURA SPEI

331. — Definitio. Spes est virtus infusa theologica, qua certa cum fiducia exspectamus per Dei auxilium aeternam beatitudinem et media ad eam assequendam. — In hac definitione verba *aeternam beatitudinem et media ad ea assequendam* designant obiectum MATERIALE; verba *per Dei auxilium* obiectum FORMALE; verba *certa cum fiducia* PROPRIETATEM ESSENTIALEM spei. De singulis quaedam subiungemus.

Obiectum materiale spei *primarium* est aeterna beatitudo. Spes enim, ut dicit S. Thomas, ¹⁾ attingit Deum, innitens eius auxilio ad consequendum bonum speratum. Oportet autem effectum esse causae proportionatum; et ideo bonum quod proprie et principaliter a Deo sperare debemus est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adiuvantis: nam infinitae virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita aeterna, quae in fruitione ipsius Dei consistit.

***Secundarium* obiectum materiale** sunt media ad aeternam beatitudinem assequendam, a. v. omnia bona supernaturalia, imo etiam naturalia, prout ad aeternam beatitudinem ordinantur. Sunt obiectum *materiale*, quippe quae eidem ac aeterna beatitudo subsint obiecto formali: sunt obiectum materiale *secundarium* tantum, quum nonnisi ut media seu in ordine ad finem, quae est aeterna beatitudo, obiecto formali subsint. ²⁾

Obiectum formale spei est Dei auxilium seu virtus Dei auxilians. Sed disputant, quatenam attributa divina importet illud auxilium Dei. Porro, iuxta S. Alfonsum aliosque ³⁾ auxilium divinum, prout est obiectum formale spei, includit *in recto* omnipotentiam, bonitatem relativam seu misericordiam atque fidelitatem Dei; *connotat* vero promissiones divinas. (n. 21. H. A. IV. n. 6-7.)

¹⁾ 2. 2. qu. 17. a. 2 et 4.

²⁾ 2. 2. qu. 17. a. 2. ad 2.

³⁾ Ita v. g. Bouquillon. *de Virt. theol.* n. 317-21; Pesch. n. 500; Mazzella. n. 1130; Herrmann. n. 1349. Alii aliter; cfr. *Zeitschrift für Kath. Theol.* 1898. p. 63 sequ.

Probatur asserti pars prior: illa enim attributa divina ad obiectum formale spei in recto pertinent, quae concurrunt ad motivum spei nostrae constituendum. *Atqui* ad motivum spei constituendum concurrunt et sufficiunt tria attributa praedicta. Ergo. *Probatur minor.* Etenim, in actu spei theologiae tria adsunt elementa: 1° *amor* (concupiscentiae) et *desiderium* summi boni, cui correspondet *bonitas* divina relativa seu misericordia qua *vult* sese nobis communicare; 2° *erectio* animae ad prosequendum summum bonum, *arduum*, *possibile* tamen ad adipiscendum, cui correspondet *omnipotentia* divina qua *potest* Deus nos adiuvare; 3° *firmitas* desiderii et erectionis animae in prosequendo bono summo arduo, cui correspondet Dei fidelitas, quae infallibiliter certiores nos reddit, Ipsum immutabiliter nos esse adiuturum.

Probatur asserti altera pars (obiectum formale spei connotat promissiones divinas). Etenim, fidelitas Dei in recto pertinet ad obiectum formale spei. *Atqui*, ad hoc ut obiectum materiale spei possit substare huic attributo divino, tamquam necessaria conditio praerequiritur promissio divina. Ergo.

Proprietas spei essentialis est eius certitudo, qua certa cum fiducia bona divina exspectamus. Spem theologicam essentialiter esse firmissimam, probatur ex Sacra Scriptura, in qua dicitur anchora tuta ac firma, indeclinabilis, non confundens, non peritura et certa. (Hebr. vi. 18. 19, x. 23; Ps. LXX. 1, XXIV. 2. 3. etc.) Probatur etiam ex Conc. Trid. *sess. 6. c. 13*, ubi dicitur: « In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. » Confirmatur demum ratione theologica: spes enim nititur omnipotentia, misericordia et fidelitate Dei; *atqui* fide omnimodam certitudinem habemus Deum vi horum attributorum infallibiliter implere promissa. *Ergo.* ¹⁾

NOTA. Spes ista certissima non excludit timorem. Certissima enim est spes ut spes, seu ex parte obiecti sui formalis seu ex parte Dei; non vero ex parte subiecti seu ipsius hominis, qui per peccatum consecutioni aeternae beatitudinis obstaculum apponere potest. ²⁾

CAPUT II.

PRAECEPTA SPEI

Spes ut *habitus* infusus est omnibus ad salutem absolute necessarius necessitate medii. *Actus* spei adultis necessarius est *necessitate medii* ad iustificationem et salutem, sicut *actus fidei.* ³⁾ Sed datur etiam praeceptum sperandi, de quo praecepto hic agendum est.

332. — Principia. I. Datur praeceptum sperandi aeternam beatitudinem. Constat: 1° Ex Scriptura, quae toties spem inculcat, e. g. Apostolus ad Coloss. I. 23 docet eos fore electos: « Si tamen permanetis in fide fundati et stabiles, et immobiles a spe Evangelii. » 2° Ex Trid. *sess. 6. cap. 6* et *can. 3*, quod docet spem esse dispositionem necessariam ad iustificationem et

¹⁾ Cfr. 2. 2. *qu. 13. a. 4. ad 2.*

²⁾ Cfr. 2. 2. *qu. 13. a. 4. ad 3.*

³⁾ Cfr. Trid. *sess. 6. cap. 6* et *sess. 14. cap. 4.*

salutem; quia nemo potest poenitentiam agere, nisi indulgentiam speraverit ad iustificationem. 3° Ex ratione: eo ipso enim quod propter beatitudinem creati simus, debemus finem ultimum nostrum expetere. (n. 20.)

II. *Praecepto spei iunctum est praeceptum timendi aeternam damnationem.* Constat: 1° Ex Scriptura, quae non minus timorem Dei, quam spem iniungit, e. g. Luc. XII. 5: « Timete Eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis Hunc timete. » Cfr. et Eccli. I. 27. 28. 2° Ex Trid. sess. 6, cap. 6, ubi inter dispositiones necessarias ad iustificationem recenset timorem; et cap. 12 et 13, ubi docet, sine speciali revelatione neminem certo scire posse se esse in numero praedestinatorum. 3° Ex ratione: sicut enim necesse est desiderare beatitudinem, ita quoque timere calamitatem oppositam, cuius evitatio incerta est. Itaque et spe praemiorum et timore poenarum homo induci debet ad legis observantiam, et ideo utrumque praecipitur.¹⁾

III. *Praefata praecepta, sperandi praecipue, obligant ad eliciendos frequenter eorum actus.* Cum enim consecutio beatitudinis sit opus arduum, idcirco, nisi homo spe et timore frequenter animum erigat, ad desidiam delabetur et finem suum ultimum non assequetur.

Hinc obligant *per se*: 1° cum primum homini sufficienter proponitur aeterna beatitudo, tamquam finis ultimus, ad quem tendere debet, atque aeterna damnatio, quam effugere oportet; 2° in articulo mortis, quo sors aeterna decidenda est; attamen de gravi obligatione hic non constat; 3° quando quis graviter tentatur desperatione vel praesumptione; maxime vero, postquam eiusmodi tentationi consenserit; 4° saepius in decursu vitae; ob rationem supra datam.

Obligant *per accidens*: 1° quando gravis tentatio urget contra aliam virtutem, ita ut periculum sit consensus, nisi homo spe aut timore animum erigat; 2° quando implendum est praeceptum vitae christianae, quod homo sine spe aut timore exsequi nequit, e. g. cum orandum est, poenitentia agenda. (n. 20. H. A. n. 13.)

In praxi, sicut dictum est n. 311. IV, fideles omnes, qui christiane vivunt, abunde hisce praeceptis satisfaciunt; frequenter enim orant, offensionem Dei evitant, de peccatis dolent etc., tum ob spem tum ob timorem. |

CAPUT III.

PECCATA CONTRA SPEM

333. — Ex dictis patet quatuor esse peccata contra virtutem spei: duo nempe omissionis actus spei vel actus timoris, tempore quo eliciendi sunt; duo item commissionis, scilicet desperatio et praesumptio, de quibus hoc loco agendum est.

¹⁾ Cfr. 2. 2. qu. 22. a. 1 et 2.

*Articulus I.***Desperatio.**

334. — I. **Notio.** Desperatio est recessus a prosecutione aeternae beatitudinis propter existimatam impossibilitatem adipiscendi eam.¹⁾ Quam impossibilitatem colligit homo sive ex eo quod putat se passiones suas et pravos habitus vincere non posse, sive ex eo quod putat sibi ob peccatorum suorum multitudinem et excessum nihil esse de divina misericordia sperandum. — Hinc infertur, desperationem praesupponere actum intellectus, quo quis iudicat se non esse salvandum, sed consistere in actu voluntatis, quo omittit beatitudinis consecrationem.

II. **Gravitas peccati.** Desperatio plene deliberata semper est peccatum mortale. Ratio est, tum quia gravem iniuriam facit divinae misericordiae, cuius proprium est misereri et parcere: tum quia hominem directe et penitus avertit ab ultimo suo fine: tum demum quia causa est multorum peccatorum, iuxta D. Paulum ad Ephes. iv. 19: «Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae, in operationem immunditiae omnis, in avaritiam.»²⁾

III. **Qualitas peccati.** Desperatio est peccatum in Spiritum Sanctum; abiiciendo enim omnem conatum ad salutem aeternam consequendam, omnem Spiritui Sancto aditum praecludit; quare prae aliis peccatis maxime periculosum est.

Hoc peccatum insuper potest coniunctum esse cum haeresi: quando nempe oritur ex iudicio erroneo contra fidem, cum pertinacia, v. g. Deum non posse aut non velle eum salvare, ei veniam dare, etiamsi se disponeret ad poenitentiam; mandatorum observationem sibi esse impossibilem.³⁾

IV. **Causae desperationis.** Praeterquam ex iudicio erroneo contra fidem, ex tribus praesertim causis oritur desperatio: 1^o Ex *luxuria*; huic enim vitio deditus ita venereis oblectationibus abripitur, ut caelestia bona iam non sapiat; cum vero resipiscere cupit, desperat se vincere posse libidinem ac proinde, se beatitudinem esse assecuturum. 2^o Ex *acedia*, qua quis virtutis exercitium fastidit eique valedicit, utpote nimis difficili, ita ut beatitudinem sibi haud parabilem putet.⁴⁾ 3^o Ex tentatione diaboli.

335. — **Notanda pro praxi.** 1^o Confessarius pro diversitate causae diverso modo tractare debet poenitentem. Si desperatio ex vitio provenit, puta ex luxuria aut acedia, debet poenitenti persuadere rerum transeuntium vanitatem, caelestiumque bonorum praesentiam, ut illarum fastidium horumque appetitionem concepiat. — Si ex diaboli tentatione provenit, debet poenitentem munire armis spiritualibus, clypeo praesertim fidei, secundum monitum S. Petri: «Cui resistite fortes in fide.» (I Petr. v. 9.) — Cum despe-

¹⁾ Cfr. 1. 2. qu. 40. a. 4.

²⁾ Cfr. 2. 2. qu. 20.

³⁾ 2. 2. qu. 20. a. 2.

⁴⁾ S. Thom. l. c. a. 4.

ratio. si non ex infidelitate, saltem ex aliqua fidei infirmitate proficiscatur, animus hominis, qui ad desperationem impellitur, ante omnia in fide confirmandus est; exinde erigendus ad considerandam misericordiam et dilectionem Dei, qui nos, cum peccatores essemus, prior dilexit, et proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: hisque non contentus firmissimas promissiones, potentissimam insuper ac benignissimam Mediatricem superaddidit.

Omnibus vero commendetur: a) recordatio maximorum peccatorum, qui non veniam tantum, sed eximiam quoque sanctitatem adepti sunt; ut sunt v. g. S. Paulus, S. Augustinus, S. Maria Magdalena, S. Margareta a Cortona. b) Meditatio parabolarum Evangelii, puta filii prodigi, ovis perditae. c) Oratio, ac speciatim devotio ad SS. Cor Jesu, ad B. M. V., quae desperantium salus vocatur. (*Prax. Conf. n. 240-244.*)

2^o Non debet desperationis peccatum cum illis angustiis confundere, quibus interdum etiam iusti affliguntur propter incertitudinem salutis. Videntur enim isti, Deo ita permittente, sic premi ut veluti in desperationis barathrum urgeantur, cum tamen spei anchoram revera non dimittant. Ut plurimum isti in mortis suae hora tranquilli ac sereni esse solent, solatium a Deo accipientes. Idcirco non terreatur confessarius de huiusmodi poenitentium modo loquendi quasi reapse desperarent, neque facile credat eos peccasse, saltem graviter, quamvis ipsi se consensisse existiment.

Articulus II.

Praesumptio.

336. — I. Notio. Praesumptio est temeraria exspectatio aeternae beatitudinis. *Temeraria*, i. e. mediis ad eum finem a Deo non institutis. — Committitur duplici modo: 1^o Si quis confidit se aeternam beatitudinem consecuturum *propriis viribus*, sine Dei auxilio; quae fuit haeresis Pelagianorum. 2^o Si quis confidit se ex sola Dei misericordia, aut ex solis Christi meritis, consecuturum remissionem peccatorum *sine poenitentia*, aut caelestem gloriam *sine propriis meritis* ex Dei gratia comparatis; quae est haeresis Protestantium.

II. Gravitas peccati. Praesumptio plene deliberata semper est peccatum mortale. Ratio est, quia gravem iniuriam continet tum Dei iustitiae, exspectando peccatorum veniam et aeternam beatitudinem praeter ordinem divina Providentia dispositum; tum Dei misericordiae, faciendo eam motivum liberius peccandi. Nihilominus, ait D. Thomas ¹⁾: «Praesumptio est peccatum minus quam desperatio: quoniam magis proprium est Deo misereri et parcere quam punire, propter eius infinitam bonitatem.»

III. Qualitas peccati. Praesumptio est peccatum in Spiritum Sanctum, quippe cui aditum praecludat; Deus enim iustus et misericors non remittit peccata adultis, nisi poenitentibus, neque dat mercedem gloriae, nisi operantibus; homo vero sine gratiae divinae auxilio nihil ad salutem utile praestare potest; praesumptio autem haec salutis media necessaria excludit; ergo Spiritus Sancti operationem impedit. ²⁾

¹⁾ 2. 2. qu. 21. a. 2.

²⁾ Cfr. 2. 2. qu. 21. a. 1 et 2.

IV. *Causae praesumptionis.* Hoc peccatum frequentius oritur ex infidelitate sive haeresi, ut colligitur ex dictis; aut certe ex superbia, qua quis seipsum tanti aestimat, ut putet se etiam peccantem non esse a Deo puniendum neque a gloria excludendum.

337. — *Quaestiones.* QUAER. 1^o *An sit praesumptio peccare sub spe veniae.*

Resp. Dist. Peccare cum proposito perseverandi *semper* in peccato, sub spe salutis sine poenitentia, certo est praesumptio. Peccare autem cum proposito *aliquando* ante mortem resipiscendi et poenitendi, sub spe veniae percipiendae, non est praesumptio proprie dicta; quia qui sic statuit, non respuit media salutis, sed ea differt tantum; verumtamen difficulter excusari potest a peccato gravi contra charitatem erga seipsum; nam, ut DD. communiter censent, magno periculo damnationis se exponit. ¹⁾ (n. 21.)

QUAER. 2^o *An sit praesumptio peccare ob facilitatem veniae obtinendae.*

Resp. Disp. Si haec facilitas est *motivum* peccandi, est praesumptio; quia *motivum* sperandi convertit in *motivum* peccandi; v. g. si quis iterat peccata, quia Deus tam facile ignoscit decem quam quinque peccatis. Secus vero, si quis peccat ex passione, et spes veniae comitatur dumtaxat peccatum. Secus etiam, si quis iterat idem peccatum, quia tam facile pluries quam semel commissum accusatur; nam tunc non facilitate veniae, sed facilitate confessionis impellitur. (n. 21. Croix. Lib. 2. n. 126. 127.)

QUAER. 3^o *Quae sint apta remedia contra praesumptionem.*

Resp. Pro haereticis est doctrina Ecclesiae de necessitate divinae gratiae et bonorum operum. Pro Catholicis aptissima est veritatum aeternarum meditatio, qua timor Domini excitatur, praesertim consideratio incertitudinis spatii poenitentiae, repentinae mortis multorum peccatorum, fallaciae poenitentiae in fine vitae.

¹⁾ Cfr. 2. 2. qu. 21. a. 2 ad 3.